





Disputatio XI.  
DE BONIS O-  
PERIBVS.

EX ARTICVLO CONFESSIO-  
nis Augustanæ sexto:

*Cuius subiectas Theses,*

ADIVVANTE DEI GRATIA,  
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiae  
Doctore & Professore, M. IOHANNES TEREL-  
LIVS Laubacensis die. 27. Octobris, in Tem-  
plo Arcis, defendere conabitur.



WITTEBERGAE,

Excudebat Matthæus Welack.

ANNO M. D. X CIII.

ba  
spis  
nt,  
xit,  
ra  
nde  
se-  
of-  
do  
ges  
am  
rio  
ni  
fi  
m  
is



# DE BONIS OPERIBVS DISPVTATIO.

Propositio prima.

**D**E Iustificatione fidei dictum nuper, ut & de medijs, quibus iustifica fides in nobis accenditur. Nunc quos ea de se fructus gignat, porro videndum.

2. Sic ergo de his Augustana Confessio: Docent (Ecclesia nostra) quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera mandata à Deo facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri &c.

3. His verbis initio bona opera comparantur fructibus, fides autem arbori. Cuius similitudinis in hac causa frequentissimus est in sacris literis usus, Matt. 3. & 7. Iohan. 15. Rom. 6. & 7. Coloss. 1. Heb. 6. & alibi.

4. Hinc bona opera dicuntur fructus Spiritus. Galat. 5. fructus pœnitentiæ Matth. 3. fructus iustitiæ Phil. 1. fructus eius, quæ è supernis est, sapientiæ. Iacob. 3. denique fructus fidei: hæc enim solet esset operosa per charitatem, Gal. 5. & ex operibus aestimatur Iac. 2. haud aliter atq; ex suis fructibus arbor cognoscitur.

5. Non autem indifferenter opera quæuis, quæ pro bonis venditantur, bona verè sunt, sed ea tantum, quæ, ut Augustana Confessio profitetur, à Deo mandata sunt.

7. Idcirco sic definiuntur illa iuxta tenorem scripturæ sacræ: quòd sint opera verbo Domini præcepta, quæ fiunt ab his, qui sunt in gratia, non proprijs viribus, sed per Spiritum Christi, & in hos fines ea referunt, ut Deo sua probent obsequia, ut Deus inde glorificetur, ut ijs exornetur doctrina Servatoris nostri Dei, ut gratitudo probetur pro acceptis benefi-

beneficijs, ut inserviatur proximo, atq; his modis fides, declaratur nostra: quæ etiam opera Deus non in hac tantum vita, sed etiam in altera compensabit.

7. Non nisi mandata opera in bonis esse habenda, autor est Dominus ipse Deut. 4. & 12. edicens suo populo: Non quod tibi videtur, facias Domino Deo tuo, sed quod ego tibi precipio, hoc **TANTVM** facias, non addas quicquam aut detrahas.

8. Hinc Christus Matth. 15. ex 29. capite Esaie docet, Deo frustra seruari operibus secundum precepta hominum institutis.

9. Qua de causa opera & cultus humanitus excogitatos ut idololatricos damnavit per Prophetas passim. 1. Sam. 15. 1. Reg. 12. Esa. 58. Amos 5. Mich. 6. & alibi.

10. Et Apostolus huiusmodi *εὐδωξιστικὰς* iuxta precepta & doctrinas hominum susceptas reijcit, Coloss. 2. atque sic pontificiorum opera ex bona intentione sine Dei verbo, imò contra illud facta palàm damnat.

11. Quæ porrò sint opera diuinitus requisita, Decalogus ostendit, distinctis utriusq; tabulæ preceptis.

12. Cæterum non abs re in definitione ponitur, opera bona fieri ab his, qui sunt in gratia. Etenim ut opus placeat Deo, ex fide proficiscatur necessum est. Quod enim non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. & fieri non potest, ut homo placeat Deo sine fide, Heb. 11.

13. Vbi autem persona non placet, neq; opus placere potest. Iuxta illud Gen. 4. Respexit Deus ad Abel & sacrificium eius, ad Cain autem & sacrificium eius non respexit.

14. Et rursus; Per fidem vberiore hostiam obtulit Deo quàm Cain. Heb. 11.

15. Quanquam igitur virtutes gentilium, temperantia Socratis, iustitia Aristidis, clementia Iulij Cesaris, Castitas

A 2 Scipionis



Scipionis & Lucretia &c. precepta sunt à Deo, atq; hoc nomine à peccatis propriè sic dictis distinguuntur: tamen quia personæ hæ non erant in gratia, nec virtutes illarum ex fide in Christum profectæ, nec ad veros fines directæ: probari Deo non potuerunt eo modo, quo filiorum suorum opera misericorditer acceptat.

16. Opera itaq; verè bona, Deoq; probata, fiunt à solis conuersis, renatis, iustificatis & sanctificatis.

17. Sunt enim fructus pœnitentiæ, renascentiæ, iustitiæ & sanctificationis. Itaq; non precedunt hæ Dei actiones in nobis, sed ex iisdem promanant.

18. Itaq; non nisi hi, qui aguntur spiritu Christi, operantur benè, dicente Christo: sine me nihil potestis facere: haud aliter atq; palmes fructus non fert à semetipso, nisi manserit in vite, Iohan. 15.

19. Et ibidem: ego vos constitui, ut eatis & fructum afferatis.

20. Et Paulus docet, conditos nos esse in Christo Iesu ad bona opera, quæ preparauit Deus, ut ambulemus in eis, Ephe. 2. imò purificatos in populum peculiarem, sectatorem bonorum operum, Tit. 2.

21. Utitur autem Deus in producendis operibus bonis, voluntate hominis iam renata, non ut merè καὸκτινῶν subiecto, sed ut instrumento concurrente συνεργητικῶς, non quidem ex naturalibus suis viribus, sed agente illam & regente spiritu Dei, qui solus agit in nobis, & ut velimus, & ut efficiamus pro bono animi proposito, Phil. 2.

22. Fines bonorum operum quod attinet, notantur aliqui veri fines in Confessionis Articulo, & remouetur falsus, qui à Pontificijs assuitur nouæ obedientiæ operibus.

24. Falsus est, quo laus iustificationis & salutis adscribitur operibus, secus quàm Paulus sentit, qui scribit iustificati

Finis 6. o.

cari & saluari hominem absq; operibus, gratis, nō operantem,  
non ex operibus, ne quis gloriatur, Rom. 3. & 4. Ephes. 2.  
Qua de re nuper satis dictum est.

24. Quando autem pontificij inferunt, si bona opera non  
iustificent aut saluent, frustraneum fore studium illorum;  
decipiant suos homines insufficientissima finium enumera-  
tione.

25. Sunt enim alij fines & cause, quibus incitati bona  
opera facere debeamus, quas partim Augustana Confessio,  
partim definitio nostra commemorat.

26. Certè si præter mandatum Dei nulla extaret causa al-  
lia: sufficere debebat hoc Dei mandatum ad sancendum in  
nobis ardentem pietatis, obedientia, & bonorum operum Ze-  
lum. Siquidem Deo iure creationis ad obedientiam obstri-  
cta est omnis creatura.

27. Sunt verò cause plures, & inter alias operandum est  
benè, ut gloria Dei illustretur.

28. Sic enim Matth. 5. Saluator ait: Sic luceat lux vestra  
coram hominibus, ut videant bona vestra opera, glorifi-  
centq; patrem vestrum, qui est in cælis.

29. Præterea ut doctrina seruatoris nostri Dei hinc orne-  
tur, Tit. 2. Sicut .n. vitam impiam eorum, qui profitentur Eu-  
angelium, blasphematur sermo Dei 1. Sam. 2. Ezech. 36. Tit. 2.  
& abalienantur à professione fidei hominum animi, atq; sic  
non mediocriter impeditur Euangelij cursus: ita vicissim be-  
nefaciendo obturatur os hominibus stultis & ignorantibus,  
& fit, ut qui adhuc à fide alieni sunt, ex bonis operibus nos  
estimantes glorificent Deum in die Visitationis, 1. Pet. 2.

30. Qualiter uxores Christianas Diuus Petrus hortatur,  
ut subditæ sint viris, ut etiam qui non obtemperant sermo-  
ni, per uxorum conuersationem absq; sermone lucrifiant, dum  
considerant cum reuerentia coniunctam castam earum con-  
uersationem. 1. Pet. 3.

31. Est etiam hic finis neutiquam postremus, quod pijs obsequijs probamus Deo gratitudinem nostram pro beneficijs acceptis.
32. Nugatorium igitur est, quod garrunt Romanenses, negligi bonorum operum culturam, si doceatur, non ex operibus iustificari hominem.
33. Imò maiorem in modum excitatur ac feruet bene operandi studium, si Deus absq; omnibus operibus sola sua immensa gratia & misericordia nos iustificare doceatur.
34. Quò enim magis gratuitum beneficium est remissionis peccatorum & salutis, eò ardentius accenditur dilectio & gratitudo erga tam incomparabilem benefactorem, & ut Christus ipse concludit: cui plus remittitur, plus etiam diligit, minus verò diligit, cui pauciora dimittuntur debita. Luc. 7.
35. Hinc Spiritus sanctus ex ipsa hac gratuita iustificatione sine operibus, argumentum extruit efficacissimum ad gratitudinem operibus & obsequijs nostris Deo probandam.
36. Tit. 2. illuxit Gratia Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentijs sobriè & iuste & piè vivamus.
37. 1. Cor. 6: Non estis ipsi vestri iuris. Nam empti estis precio: glorificate iam Deum in corpore vestro & in spiritu vestro.
38. 1. Pet. 1. Scitis, vos non non caducis rebus, velut argento & auro fuisse redemptos à vana vestra conuersatione, quam ex Patrum acceperatis traditione, sed precioso sanguine velut agni immaculati & incontaminati Christi.
39. Et Tit 3. postquam Paulus dixerat, Deum nos non ex operibus sed secundum misericordiam suam saluos fecisse per lauacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, ut iustificati illius gratia heredes efficeremur iuxta spem vite aeternae: confestim subiicit: de his volo, ut confirmes, quò



quò solliciti sint, ut bonis operibus presint, qui crediderunt.

40. Ergo Paulus doctrinam de Iustificatione sine operibus gratuita ideò vult urgeri, ut per eam incitentur fideles ad benè operandum; hoc ipso pontificiorum obiectum, ex professo refellens.

41. Sunt quoq; bona opera testimonia fidei nostræ, iuxta illud Jacobi 2. Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi fidem meam ex factis meis.

42. Nunquam enim vera fides infrugifera est, neq; nos iustificationem adscribimus ei fidei, quæ bonis operibus sit vacua, sed quæ iuxta Paulinam definitionem sit per charitatem efficax, Gal. 5. quantumvis iustificam illam vim non hæcenus obtineat, quatenus se per charitatem ad proximum per bona opera demittit, sed quatenus natura sua <sup>negyia</sup> seu facultate apprehensiva ad Christum in verbo promissionis assurgit, eumq; amplectitur.

43. Deniq; ad facienda bona opera inuitare nos debent amplissime promissiones, quibus retributio promittitur non tantum in hac vita Psal. 41. sed etiam in resurrectione iustorum & seculo altero, Luc. 14. & 16. & Matth. 25.

44. Quæ tamen retributio non ipsam vitam æternam complectitur, hæc enim est donum Dei per Christum Iesum Dominum nostrum, Rom. 6.

45. Sed gloriam in vita æterna respicit. Sicut enim stella differt à stella claritate, sic erit resurrectio mortuorum, 1. Cor. 15. Et unusquisq; suam mercedem accipiet iuxta suum laborem, 1. Cor. 3.

46. Idipsum verò gratis & non ex debito: quia inter operum nostrorum laborem, & retributionem alterius seculi, nulla prorsus comparatio est aut proportio, qualis quidem aliàs in omni compensatione debita requiritur.

Denique

47. Deniq, quod attinet propositiones illas: Bona opera sunt necessaria ad salutem: Impossibile est sine bonis operibus saluari: Nemo unquam sine bonis operibus saluatus est &c. quia non sunt in potestate sanorum verborum undique conformes, & pugnant cum particulis exclusiuis ab Apostolo usurpatis, & perturbatis conscientijs necessariam consolationem eripiunt, & offendiculi sunt plene, & errorum ansam subministrant, & omnino papismum redolent; idcirco utcumq, pingantur, fingantur & refingantur, iudicamus ab ijs abstinendum esse.

48. Necessaria sane sunt opera bona, sed non ad salutem consequendam, verum alijs de causis supra memoratis.

49. Et quanquam libera sunt bona opera, quia non coacta, sed à libero & spontaneo profecta spiritu: tamen non ita libera sunt, ut integrum nobis sit ea intermittere. Debites enim sumus, ut non secundum carnem viuamus, sed secundum spiritum, Rom. 8.

50. Rursum, quando necessaria dicuntur bona opera propter mandatum Dei, nihil id obstat, quò minus & spontanea rectè dicantur: siquidem spontaneo non necessitas (quæ alijs ex causis orta libertatem voluntatis non euertit) sed coactio repugnat.

51. Eam quoq, propositionem, qua dicitur: Bona opera sunt perniciofa, non simpliciter admittimus.

52. Per se enim sunt bona, utilia, & ad Dei gloriam Ecclesieq, adificationem pertinentia.

53. Perniciofa verò fiunt non nisi per accidens, quando fiducia salutis aut iustitie coram Deo valens in ijs collocatur. Quo sensu Diuus Paulus pro reiectamentis & damno reputat opera sua, quæ olim in Pharisaismo fecerat. Phil. 3.

F I N I S.

AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK







14

Disputatio XI.  
**DE BONIS O-**  
**P E R I B V S.**

**E X** ARTICVLO CONFESSIO-  
nis Augustanæ sexto:

*Cuius subiectas Theses,*

**ADIVVANTE DEIGRATIA,**  
**PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiae**  
**Doctore & Professore, M. IOHANNES TEREL-**  
**LIVS** Laubacensis die. 27. Octobris, in Tem-  
plo Arcis, defendere conabitur.



*U U I T E B E R G A E,*  
**Excudebat Matthæus Welack,**  
*ANNO M. D. X C I I I.*

